

Prologue - Perseus et Rex Malus

“Māter, nārrā mihi fābulam!”

Puer septem annōs nātus in lectō suō est et mātrem vocat. Māter ad lectum filiī adiit,

“Minimē, mī fili. Tempus est tibi dormīre!”

“Ego dormīre nolō! Dēfessus nōn sum! Sī tū mihi fābulam bonam nārrābis, ego statim *obdormiam (I will fall asleep)!*”

Māter dēfessa est. Fīlius suus fābulās semper audīre vult. At māter, quamquam nōn vult, filiō fābulam nārrāre coepit:

“Ōlim erat piscātor quī in īnsulā parvā habitābat.”

“Erat illa īnsula similis īnsulae nostrae?”

“Ita vērō, mī fili. īnsula in quā piscātor habitābat erat parva similis īnsulae nostrae. Puer, audī mihi et nōlī quaestiōnēs semper rogāre!” Puerō placuit multa semper rogāre.

Māter iterum fābulam nārrāre coepit: “Quōdam diē piscātor rēte in mare iēcit ad piscēs capiendōs. Ēheu! Cum ille rēte in nāvem traxisset, piscēs in rētī nōn erant.”

Puer: “Rēte eius erat vacuum?”

“Vacuum,” māter respondit.

“Mare multōs piscēs habēbat, sed rēte piscātōris semper erat vacuum. Trīstis, quia piscēs capere nōn potuit, piscātor domum īre coepit.”

“Māter, estne haec fābula trīstis? Fābulae trīstēs mihi nōn placent.”

“Dum ille vir domum ībat, subitō piscātor aliquid in marī vīdit!”

“Māter, quid vīdit piscātor in marī? Nāvis erat?”

“Piscātor putāvit rem esse nāvem. Ille vir rem adiit et vīdit rem nōn esse nāvem, sed arcam magnam. Mare arcam hūc illūc movēbat, sed arcam submergere nōn potuit. Piscātor arcam in nāvem celeriter trāxit, et eam aperuit.”

“Quid erat in arcā magnā? Pecūnia?”

“Minimē.”

“Aureum?”

“Minimē.”

“Gladius?”

“Minimē.”

“Mōnstrum??” puer inquit. “Ego scīvī mōnstrum esse in fābulā! Fābulae dē mōnstrīs mihi maximē placent!”

“Neque pecūnia neque aureum neque gladius neque mōnstrum in arcā erat. Arcā apertā, piscātor fēminam invēnit.”

“Fēmina? Ēheu! Eratne fēmina mortua?”

“Piscātor putāvit fēminam esse mortuam, sed mox illa sē movēre coepit. Fēmina nōn mortua erat, sed vīvēbat. Piscātor gaudēbat fēminam vīvere. Ecce, fēmina in arcā nōn sōla erat.”

“Quis alius erat in arcā?”

“Erat parvus īnfāns. Piscātor mātrem et fīlium īnfantem ad domum dūxit. Et in illā domō multōs annōs laetī habitābant. Nunc, tempus est obdormīre, mī Persī.”

Puer, quī Perseus vocātus est, mātrem nōn audīvit. *Iam (now)* obdormīverat.